Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

PRÆSENTATIONE SUI IPSIUS,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. JO. WILHELMO,

DUCE SAX. JUL. CLIV. AC MONT. &c. &c.

PRÆSIDE

DN. NIC. CHRISTOPHORO LYNCKERO, JCto,

SERENISSIMI DUCIS SAXO-VINARIENSIS CONSILIARIO INTIMO, UT ET REGIMINIS AC CONSISTORII TUTELARIS JENENSIS, EMINENTISSIMO. FACULTAT. JURID. SENIORE, CUR. PROVINC. AC SCABIN. ASSESSORE, ET ANTECESSORE PRIMARIO:

DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆTERNUM COLENDISSIMO,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET,

IN AUDITORIO JCTORUM

AD D. MAJI. A. ÆR. CHRIST. LXXXIX.

AUCTOR

SALOMON FRIDERICUS Fischer/

Schneebergâ Misnicus.

JENÆ,

LITERIS JOH. DAV. WERTHERI.





Q. D. B. V.

Proœmium.

EXperientia non solùm quotidiana testatur, sed & quorumlibet sapientiorum tùm Ethnicorum, tùm eorum, qui Divini Verbi revelatione gaudent, dogmata confirmant, esse quædam Prima Naturæ, Græcis τὰ πρῶτα κτ̀ φύσιν: quædam Consequentia. Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 2. n. 1. Prima quod attinet, sunt illa homini cum brutis communia, & Appetitui sensitivo propria, adeoque moraliter neque bona, neque mala; quorum præcipua: Conservatio sui ipsius, dilectio eorum, quæ ad conservationem faciunt, & è contrario aversatio, quæ interitum minantur. Vid. §. 1. J. d. J. N. G. & Civ. Consequentia quemadmodum primis nobiliora & excellentiora existunt, ita soli homini competunt: suntque ra-

tio & convenientia quadam rerum cum ipsâ ratione, quæ corpore est potior; Atque ea convenientia, in quâ honestum est positum, pluris facienda quàm ad quæ sola primùm animi appetitio fertur: quia prima natura commendant nos quidem rectæ rationi, sed ipsa recta ratio carior nobis esse debet, quàm illa sunt, à quibus ad hanc venimus. Grot. d. l. *Uno verbo ut exprimam, est* ΦΙΛΑΥΤΊΑ, *Latinis* AMOR SUI ipsius. Horat. lib. I. Od. 18, CHARITAS SUI: Seneca lib. 5. d. benef. 9. Dn. Thomas. Differt. d. Philavtia c. 1. *vi cujus quodlibet animal sibi ipsi optimè cupit, commoda aucupatur, damna avertit. Homo verò vel maximè in sui amorem fertur, quò magis ipsum eò rectæ dictamen rationis adigere videtur. Hæc autem ipsa licèt maximè naturalis sit ut i jam ostensum, imò necessaria ad sui conservationem:* Grot. d. l. n. 3. *& testimoniis non solùm JCtorum,* vid. l. 3. ff. d. J. & J. *sed & Scripturæ Sacræ, confirmari possit:* Ps. 49. v. 19. Te celebrabunt homines cùm Tibi benefeceris. vid. Scharrok. d. Off. secundum J. N. *& Apostolus: nemo, inquit, odit unquam carnem propriam: ita ut operæ pretium non sit, illi adstruendæ rationes ulteriores congerere, cum notissimum sit, id quoque*

que

quæ ex fine omnium actionum humanarum fluere: d. Scharrock. d. Ott secundum J.N. c. 1. & 4. n. 2. *ubi etiam* n. 3. *peccata contra eam (sc. Philautiam) adducit: Attamen quia pro conditione rerum humanarum per accidens & ex abusu hominis interdum fit illicita & injusta, inde Aristoteles eam in bonam & malam dividit* L. IX. ad Nic. c. 8. *mihique adeò in conceptu generali videtur Indifferens.* Dn. Schilter. Manuduct. ad Philosoph. Moral. c. V. §. 13. *Hæc ita reputans mecum, cum de Præsentatione seu Exhibitione sui ipsius cogitarem, eam* τῆς φιλαυτίας *speciem seu potius effectum judicavi, atque adeò eâdem naturâ præditam. Imprimis hoc mihi visum consentaneum legibus Civilibus, Constitutionibus Imperatorum, & in Summa, Justinianei & Canonici, Publici & Privati Juris hypothesibus quàm maximè congruum. Etenim duplex potest concipi Præsentatio, una, quæ fit in favorem sui ipsius principaliter, & secundariò alterius, altera, quæ est in favorem primariò alteriùs, & secundariò sui ipsius; Licet autem hæc provenire non ex Philautia ob apparentem contradictionem, illa verò esse suspecta videatur; sciendum tamen est quoad primam speciem,*

 quod

quòd ita strictè non sit interpretanda Philautia, ut excludatur amor alterius, sed ejus præceptum generale, quod novimus; PROXIMUS EGOMET *mitti, comparandum cum altero;* PROXIMUM DILIGAS SICUT TE IPSUM: *quod etiam Philosophus agnovit, rectè pro normâ amicitiæ amorisque erga proximum habens Philautiam* L. IX. ad Nic. c. 4. & JCtus l. 3. ff. d. J. & J. *dicens, naturam quandam inter nos cognationem constituisse. Vide etiam hanc rem egregiè exponentem* Dn. Schilterum Manuduct. ad Philosoph. *Moral.* c. 5. §. 13. 14. 15. & celeberrimum Pufendorf. de Jure N. l. 3. c. 2. n. 1. & prolixiùs cap. sequ. 3. *Imò dantur casus, ubi quis alterius utilitatem propriæ omninò debet anteponere, ut taceam volenti non fieri injuriam.* l. 1. §. 5. ff. d. Injuriis. *Quod alteram speciem attinet, nempe amorem quendam sui ipsius, quô quis alteri, ob propriam principaliter utilitatem sese præsentat, v. g. in Judicem, testem, item ad honorem, officium &c. esse suspectum; non ibo ejus rei planè inficias.* v. l. unic. C. Ne quis in sua causâ jud. l. 10. C. d. Test. l. 1. §. in propriâ. 11. ff. Quando apell. *Hoc tamen ipsum in se nec est universale, sed quibusdam in casibus pro occasione & circumstan-*

cumstantiis aliter se potest habere, & licet in allatis exemplis esset, non tamen induceret consequentiam etiam in aliis ita esse in universum constitutum. Hoc igitur est, quod præsenti dissertatiunculâ pro ingenio & viribus per singulas juris partes, breviter tamen, demonstraturus sum, nimirum quid justum, quidve injustum circa Præsentationem sui ipsius, allaturus. Quemadmodum verò nil amplius, quàm Juvenile specimen Academicum intendo, ita rogito, B. L., velis in meliorem partem interpretari, si non satis exhausta tibi materia videatur, aut scriptum quid non satis confirmato judicio, perpendens tùm materiæ gravitatem, & excellentiam, tum verò maximè ætatis immaturitatem; Siquidem aliàs, adeoque mihi etiam, in magnis voluisse sat est!

CAPUT I.

De Notatione nominis, Definitione, Divisione & Causis.

§. 1.

INdubitatæ Veritatis est, pendere genuinum rerum intellectum à verà verborum cognitione & intellectione, & non solum Ciceronem de re aliquâ institutione id

ne id commendasse comperimus, *L. 1. de Offic.* sed & ipsum Imperatorem Ji stinianum observasse hoc, nobisque inculcasse novimus. *Vid. pr. J. d. Libert.* §. *3. J. d. Tut. l. 1. ff. d. J. & J. l. 1.* §. *1. ff. d. Pact.* Sed tamen cum operæ pretium non semper sit, si præsertim res per se non est obscura, hisce talibus nimium longè inhærere: ideò ne planè receptæ methodi leges spernere videar, saltim potiora circa Verborum incunabula, significationem, Synonymiam, & hononymiam attingo.

§ 2. Præsentatio recentioris latinitatis verbum est, & derivatur à verbo præsentare, quod iterum venit à vocabulo Præsens, hoc verò est à Præsum. Et significat igitur Præsentatio Præsentis exhibitionem, sicuti Præsentare, præsentem exhibere: nobis eine Dar und Fürstellung/Anbietung ꝛc. Videlicet in eo sensu hic sumitur, quatenus Synonyma ejus sunt, Laudatio, Commendatio, Exhibitio, Oblatio & Repræsentatio, quod ultimum in Jure Canonico sæpiùs pro eo sumitur: *vid. c. 10. X. de Jure Patronatus.* Adeò, ut non sit hujus loci significatio illa, quâ significat nudam ostentationem ejus, quod quidem reverà est, quæ vulgaris est; vel etiam, quâ notat simulationem seu fictionem ejus, quod revera non est, uti præsertim Repræsentationis Vocem in Jure nostro adhiberi certum est. *Nov. 118.*

§. 3. Porrò quod spectat vocabula Sui ipsius, nulla adparet circa eadem difficultas & ambiguitas, & significant ea Prædicatum seu reciprocationem. Namque amplius non est dubium, esse & circa propriam personam quædam justa, quædam injusta *l. f. ff. d. Pact. l. 53. pr. de Judic. arg. l. 3. ff. d. Just. & J. l. 1.* §. *27. ff. d. Vi ar- mat.* In specie vox Sui & Suus quemadmodum ea ritè usur-

usurpetur, quidque importet, *vid. Valla in peculiari libello, cui titulus est:* DE RECIPROCATIONE sui & suus; Vocula verò IPSIUS auget, & ferè πλεοναστικῶς adhibita est.

§. 4. Jam ad definitionem seu descriptionem rei devenio, quæ potissima omnis tractationis pars est, monente *Gajo JCto l. 1. §. f. ff. d. O. J.* Prout autem ego Præsentationem sui ipsius, quidve circa illam justum & injustum sit, in præsentiarum consideraturus sum, sic pono: *Est Actus, quò quis offert & commendat personam propriam ad munus vel publicum, vel honorem, vel Jus competens, vel deniq; quodvis aliud officii & beneficii genus, vel etiam pœnam, &c. quatenus ille Jure Justinianæo & Canonico, Privato & Publico, approbatur vel reprobatur.* Ex definitione igitur allatâ fluit oppidò, esse aliam Præsentationem justam, aliam injustam, aliam, quæ in favorem principaliter sui ipsius fit, aliam, quæ utilitatem primariò alterius respicit, & quæ sunt divisiones reliquæ.

§. 5. Restat ut paucissimis adhuc mentionem faciam causarum concurrentium, quarum quædam sunt internæ, quædam externæ: de singulis in specie. Efficiens est vel remota, vel propinqua. Hæc est ipsa persona præsentans, quæ vel sui, vel alieni juris, juxta §. *1. J. d. His qui sui vel alieni juris;* Licet enim in servum non cadat obligatio Civilis, *l. 22. ff. d. R. J.* & talis pro nullo & mortuo habeatur. *l. 209. d. R. J.* Secus tamen est quoad obligationem naturalem, *l. 32. d. R. J. §. 1. J d. Fidejuss. l. naturaliter. 13. d. Condict. Indebiti,* quia illo jure omnes æquales sunt: & quoad delicta. *l. 14. ff. d. O. & A.* Poterunt ergo se præsentare servi ad officium alteri præstandum, & inprimis jussu Domini ad contrahendum, &c. ita ut ex eorum gesto Dominus teneatur. §. *1. J. Quod cum eo, qui &c.*

B ibique

ibique *Schneidew. n. 2.* Poterunt ſe etiam præſentare ad pœnam ex commiſſo delicto irrogandam. *d.l.14.d.O.&A.* Denique non excluditur minor & pupillus, qui ultimus ſe poteſt præſentare & offerre Curiæ, Principi, Patri naturali ad legitimandum. Materia Objectiva eſt vel Jus, vel munus, vel honor, vel quodlibet officium & beneficium, vel denique etiam pœna. Forma eſt modus commendationis ſui ipſius, pro circumſtantiis & conditione Objecti qualificatus. Finis tandem ſuâ naturâ eſt multiplex, ſcilicet vel internus, vel externus, vel ultimus, vel intermedius: in univerſum erit vel utilitas, vel honos (1) Sui ipſius, (2) Alterius (3) Reipubl. Hæc pauca in genere delibaſſe ſufficiat; Succedit in ſpecie

CAP. II.

De Præſentatione ſui ipſius, quatenus occurrit in Jure Privato.

§. 1.

CArpat methodum Juſtiniani in tractandâ Jurisprudentiâ quisquis velit, & imprimis ei, quam in tradendis Inſtitutionibus Juris adhibuit, certos nævos tribuat; Alii tamen Doctiſſimi Viri rectisſimè judicant, eâ nihil eſſe ordinatius, elegantius, & pro materiæ conditione magis conveniens. Vide hanc in rem *Tabor. in Jurisprud. methodica part. elem.* Ego in conſiderandâ Præſentatione ſui ipſius, quatenus occurrit in Jure Privato, imprimis ſequar ductum harum laudatarum Inſtitutionum,

num, & quidem uti optimè Sacratissimus Imperator Objectum Juris triplex statuit §. *ult. J. d. J. N. G. & Civ.* ita omnis Præsentatio, salvo ejus Objecto, quod jam supra posui, hic occurrit vel ratione personæ, vel ratione rei, vel denique ratione actionis. Noto tamen, me, quod Judicia publica attinet, officium judicis, munera publica, itemque honores & pœnas, reservasse tractanda in Capite sequ. de Jure Publ. cùm pertineant ad constitutionem judiciorum, quæ quòd sit propriè Juris publici, nullum est dubium. Sunt enim quædam publicè utilia, quædam privatim, inquit *Ulpianus l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* addens, *Jus publicum in Sacris, in Sacerdotibus & in magistratibus consistere. add. Schweder. Introd. in Jus publ. parte spec. sect. II. c. 13. n. 7.* Seckendorff im Fürsten-Staat, *p. 2. c. 5. 6.* Quæ magis itaque Juris Privati Civilis sunt, & quomodo nitantur Jure N. pro instituti & materiæ ratione hic adducemus.

§. 2. Antequam v. ad specialia progrediar, lubet in genere tribus saltim verbis notare, & quidem occasione titulorum, quos Imperator, ceu sibi optimo jure competentes, altâ quasi voce recitat, in procemio Institutionum, sibique attribuit: quod quis se ipsum possit omninò interdum tempestivè laudare & commendare: item quòd Principes hæc talia non ultrò assumant, sed ab aliis oblata admittant. *v. Hesenthal. Dec. 1. Athlet. Polit. qu. 2.* Secundò occasione invitationis ad LL. Studiosos, quâ opus suum insinuat, idque laudando illis obtrudit; *§. ult. proœm. Inst.* notandum est: Quòd quis alteri officia sua & beneficia possit offerre, prout in subsequentibus specialiter pluribus sum demonstraturus. Licèt enim propria laus

ut plurimum soleat sordere, *Barbosa in Thes. Loc. comm. Jur. lib. 10. cap. 5. axiom. 1.* & invito non obtrudatur beneficium; *l. fin. C. Unde legitimi l. 19. §. 2. ff. d. Donat. l. 69. ff. d. R. J.* attamen aliud dicendum est, si non ex vanâ jactantiâ procedat laus, sed vel ad se defendendum, vel ad exemplum præbendum, vel alteri inserviendum, fiat. *l. 4. §. 3. & l. 7. ff. de Offic. Proconf. add.* Schacher. *in disp. Inaug. habitâ Lipsiæ anno 1684. d. Laude intempestivâ. c. 3. §. 1.* Idem obtinet in beneficio, si id in non petentem quidem, benè tamen accipientem conferatur, cùm & ignoranti interdum possit acquiri tale, *l. 77. § 3. d. Legat. II.* & certè interfit omnium hominum, homines beneficio affici. *l. 7. in fin. de serv. export. Wesenb. in Paratit. de Appell. n. 7.*

§. 3. Distinguuntur autem personæ ex statu seu conditione suâ, quæ triplex est: Libertatis, Civitatis & Familiæ. *l. ult. d. Cap. deminut. Ter. Eunuch. A. 4. Sc. 7. v. 35. Principio eam esse dico liberam, Civem Atticam, meam sororem;* De singulis jam in specie: & licèt divisiones hæ non sint præcisè Juris Civilis, quid tamen Jus hoc in puncto nostri thematis circa eas statuat, tractandum venit. Quoad primam distinctionem seu conditionem, omnes homines distinguuntur in liberos & servos. *§. 1. J. de Jure Person.* Quæritur igitur oppidò, An, & quomodo Quis possit offerre seu præsentare se servum, item, Quomodo iterum servus valeat se præsentare manumittendum, seu Proprius homo, (pro mitiori temporum nostrorum genio inter Christianos) se dimittendum.

§. 4. Quod primam quæstionem respicit, non est, quòd circa eam adeò dubitemus, quin potius Naturalia

B & Gen-

& Gentium jura, quæque ex his collectæ sunt leges Civiles, id uno concentu videntur affirmare; Alterum quæsitum; Quomodo sc. quis se servum exhibere, præsertim etiam secundùm Jus Civile possit, an mediante delictô, an mediante Venditione seu alio contractu, magis est ambiguum, & inter Doctores etiam controvertitur. Equidem nec desunt, qui primum æquè negare audent, inprimis etiam de Jure N., inniti §. 2. *J. d. J. Pers.* ubi definitur, quod sit *contra naturam servitus*: sed contrà illos scimus, id ibidem dici esse contra naturam, quod non est secundùm naturam, aut præcipiatur à naturâ; vel etiam quòd est contrà statum primævum naturæ, sicque omninò omnes homines nascuntur liberi & æquales. *pr. J. de Libert. l. 4. §. 1. ff. d. stat. hom. l. 23. ff. d. R. J.* Inde tamen non sequitur, servitutem ita contrariari Juri Naturæ, ut salvo eo non possit introduci, siquidem hoc sensu nec libertas ejus juris est, videlicet decretivè. *Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. III. th. 10. Bachov. ad Treutl. disp. 2. th. 2. lit. B.* Namque non solùm ex gentium posteà placito, & Jure rationis discursivæ, servitus est introducta, quæ jure rationis simplicis seu primævo erat incognita; Verùm etiam ipsa natura aliquos magis aptos ad serviendum, quàm imperandum produxit, adeò, ut quando illi his pareant non inconveniens sit eorum naturæ, quippe quæ ita se habet, ut servitutem æquo animo ferre queat, nec libertatis Juribus commodè uti sciat. *Arist. 1. Politic. 3. 4. 5. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. III. th. 10.* ibique *citati.* Quanquam aptitudo illa non protinus actum statumque hominis in societate externâ, inducat.

§. 5. Porrò quòd etiam Jure N. salvô, mediante contractu, v. g. emtione venditione, locatione conductione

 seu

seu alio innominato, aliquis se possit servum præsentare, ex origine servitutis, ùt quam plurimi tradunt, constat. Etenim licet Justinianus videatur asserere, servitutes ortas & constitutas esse unicè ex bellis & captivitatibus §. *2. J. d. J. N. G. & Civ.* Id tamen fortè exclusivè non est intelligendum, vel tantùm de durissimâ illâ servitutis specie, quam ipse posteà partim correxit, §. *ult J. de his qui sui vel al. j.* partim correctam à Divo Antonino & mitigatam sartam tectam conservavit. Interim valdè probabile est, *inquit celeberrimus Pufendorf. lib. 4. c. 3. n. 4. de Jure Naturæ & Gent., cùm ab initio homines à primâ vivendi simplicitate discederent, vitamque operosiùs excolere, ac rei augendæ incumbere cœpissent, à selectioribus & locupletioribus hebetiores ad operas sibi locandas fuisse invitatos. Mox cùm utrique hoc commodum experirentur, paulatim hosce adductos, ut istorum sese familiis perpetuo adjungerent, iis sub legibus, ut hi quidem alimenta, & quæ alia vitæ necessaria sunt, illi autem eorundem ministeria circa rem domesticam ex eorum præscriptis curandam sibi stipularentur. In ejusmodi igitur servos quantum imperii Domino naturaliter competat, facile ex fine hujus societatis colligitur.* Quemadmodum verò hæc servitus creverit, & cum alterà specie duriori ex captivitate bellicà confusa sit, *vid. latiùs laud. Pufend. lib. 4. c. 3. n. 4.* ubi allegat in fine consentientem *sibi Boecl. ad Grot.* Cæterùm de aliis se in servum dandi seu præsentandi modis, apud Germanos & Græcos usitatis, *vide Grot. l. 2. c. 5. n. 27.* ibique *citatos Autores;* confirmat insuper etiam ejusmodi præsentationem sui in servum ipsa S. scriptura, *Deut. 15. v. 12. seqq.*

§. 6. Tan-

§. 6. Tandem modus ille in servum se offerendi, quem tradit Jus Civile Romanum, quemque Civilem appellat Imperator, §. 4. *J. d. J. P.* est etiam per venditionem. Venditio verò, an se habeat ut causa, per directum, h. e. an reverà quis vendere possit libertatem, an verò se habeat tantùm ut conditio sine quâ non, seu occasio & modus per indirectum, adeò ut potius ob dolum, & in odium degeneris animi, inque pœnam tantæ improbitatis, sic se venundari passus, in servitutem condemnetur, Doctores dissentiunt. *Ziegl. in not. ad Grot. l. 2. c. 5.* Omnes tamen concedunt, talem præsentationem in effectu omninò obtinere. Requisita ejus quatuor recenset *Glossa ad hunc §. 4. J. d. J. Pers. & Bartolus ibidem.*

§. 7. Nos cùm servos hodie inter Christianos, nisi in quibusdam Provinciis, (& variè tamen,) *Bacbov. ad Treutl. Volum. I. th. 9. lit. B.* Schilter. *in Praxi Juris Rom. Exercit. III. th. 1. 2. Gudel. de Jure Noviss. lib. 1. c. 4.* ut & ex jure talionis, contra Turcas & barbaras nationes, non habeamus: *vid. R. J.* zu Speyer *de anno 1542.* §. Und wiewohl nun. *verbo,* Viehische Dienstbarkeit. *Ant. Perez. ad tit. Cod. de nudo jur. quirit. toll. n. ult. Stam. de servit. pers. l. 1. tit. 1. c. 4. Gudel. d. l. c. 4.* benè tamen iisdem similes habeamus homines proprios, quorum comparationem cum adscriptitiis & libertis idem tradit *Gudel. l. c. junct. Struv. Syntagm. J. C. Ex. III. th. 22. & 23.* Schilter. *in Praxi Jur. Rom. d. Ex. III. th. 5.* Videamus igitur, numne in talem quis se possit præsentare?

§. 8. Certè quemadmodum constat, ejusmodi proprietatem hominum, ratione originis, magnam partem introductam fuisse liberrimis pactionibus, quibus se ho-

mines

mines isti pro alimentis perpetuis dandis ad præstanda perpetua servitia obtulerunt *vide Christoph. Lehman.* Von Anfang der Leibeigenschafft in Teutschland. *c. 20. l. 2. Chronici Spirensis, Hussan. tr. d. Propriis hominibus. Speidel. in Notab. voce:* Leibeigen. *& in Sacris, Deut. c. 47. v. 19.* Ita non video, quid prohibere valeat hodie, ut aliquis v. g. inops Rusticus, vel obæratus debitor, se alterius manui addicat, quemadmodum hoc olim in debitore obtinuit, (non quidem invito eo & necessariò, *L. ob æs alienum 12. C. de Oblig. & Act. Nov. 134. c. 7. Auth. imò à debitore C. d. Obl. & Act.* Atq; nunc etiam in Provinciis Saxonicis extrà Electoratum reliquis, per jus Saxon. commune & forensem usum, addictio inviti debitoris ad manum creditoris, decernitur, an Halffter und Hand. *v. Coler. P. 1. d. Proc. Exec. c. 3. n. 148. seqq. & c. 6. n. 124.*) *argum. l. 134. d. R. J. l. 10. C. de Pact. l. 4. ff. d. stat. hom.* Neque enim volenti & scienti fit injuria *l. 1. §. 5. ff. de Injur. l. 1. ff. d. Act. Emt. l. 145. ff. de R. J. Cap. Scienti. 28. d. Injur. in VIto.*

§. 9. Sed visâ servitute, quomodo constituatur, ipsius servi ad hanc se præsentantis voluntate: tentabimus paucis etiam, an talis capax sit se præsentare iterum manumittendum, seu proprius homo se dimittendum? Sanè cùm sciamus jure Civili servum pro mortuo esse reputatum: *l. quod attinet & l. 209. ff. d. R. J.* frustrà videtur inquiri, quomodo eo jure talis tam considerabilem actionem possit perficere. Sed tamen sicuti hoc jus semper æquitatem stricto juri præfert: *l. 8. C. d. judic.* ita imprimis favore libertatis & hoc permisit. Ut enim taceam, servum id posse jure facere, qui hâc lege est venditus, ut intra certum tempus liber efficiatur: *l. 13. ff.*

qui

qui sine manumiss. vel cui cum Domino convenit, ut se possit suis nummis redimere *l.4.ff.d.manumiss.* nec non qui à Domino priori, quem læsus noxali judicio convenerat, noxæ dimissus ære suo deinceps à novo domino se liberaturus est: non sponte scil. factus servus, sed necessitate noxalis judicii. *l. 8. ff. d. noxal. act. §. 3. Instit. eod.* quòdque deditio noxæ non fecerit quem Dominum Quiritarium: *l. 3. §. genera. ff. d. Acq. & am. poss. Hotomann. ad d. §. 3. & Cujac. XIII. Obs. 9.* adhuc præter istas species duo restant præcipui modi, quibus se manumittendum validè præsentat, nimirum propria ejus merita, & domini delicta. Merita vero ejus possunt esse vel in dominum suum, vel etiam in Rempublicam. Sic enim liberatur à servitute, si adulterinæ monetæ auctorem, aut raptum virginis, aut desertorem militiæ detulerit. *tit. C. quibus ex causis servi pro præmio. adde Gudel. de Jure Noviss. lib. 1. c. 3. in fine.* Donatur porrò libertate, si Domini necem ultus sit, *l. 4. ff. d. Bonis libert.* & ob alias virtutes, v. g. si ad Episcopatum dignum se reddiderit, eòque sit electus: si religionem in monasterio sit professus: *Nov. 123. §. post ordinationem, & §. si quis autem ad monasticum &c.* it. si sciente Domino ad Civiles & militares honores pervenerit. *l. 7. C. qui militare possunt.* Si dominus in servum delinquat, jura certis casibus ipsi concesserunt, ut se liberum declarandum exhibere possit. v. g. si infirmum illum dominus domo sua ejecerit, *l. 2. ff. qui sine manumiss.* si infantem adhuc in viis publicis vel alibi exponat. *Nov. 153. d. Infant. Exposit.* Si denique cum dominus castret. *Nov. 142. d. His qui Eunuchos faciunt.*

C §. 10.

§. 10. Hæc itaque, quæ de veris & durioris conditionis servis attuli circa eorum liberationem, quam ipsi sibi procurare valent, si omninò ita se habent, prædicari multò magis poterunt de hominibus propriis, ob conditionem eorum liberiorem: *Schilter. Praxi Jur. Rom. Ex. III. th. 5.* quia in illis adhuc multi alii modi sunt, quibus faciliùs manumissionem possunt obtinere. *Struv. Exercit. III. th. 23.* ibique *citatus Lehmann. in Chronico Spirens. lib. 2. c. 20.* Husan. *Tr. d. Propriis hominibus c. 7. q. 5. n. 16. seqq.* Sed hæc de materiâ servili, & primâ adeò personarum divisione sufficiant: transeamus jam ad alteram, ex Civitate nempe oriundam.

§. 11. Quamvis enim Justinianus in primis Juris elementis parùm tractet de Jure Civitatis, quippe Publicô; non tamen omnimodò id sicco, quod ajunt, pede præteriit; sed ubi libertinorum antiquam divisionem in Institutis *tit. d. Libert.* §. *3.* abrogavit, etiam hujus fecit mentionem, testatusque est, esse aliquod Civitatis Romanæ jus, cùm eo decorasse perhibeat libertinos. *d. l.* Quid? quod *l. 7. ff. d. Stat. hom. l. 1. ff. ad Municip. l. 228. de V. S. Nov. 78. c. 5.* & passim expressè nobis tradat divisionem personarum in Cives Rom. & Peregrinos, atque Jurisperito ut tali tenendam eam esse constet ex effectu ejus juris, non supremi, cui inest jus suffragii, id quod Majestatis & Civis Democratici est; sed saltim remissioris, de quo *vide Sigon. d. Jure Civ. Rom. Barnab. Briss. Antiqu. select. l. 1. C. 13. h. e.* ex quo dependet competentia fori, jura commerciorum privatorum, succesionum, connubiorum, tribuum. &c. *Struv. Exercit. IX. th. 14. id. Exercit. 50. th. 46. & 47.* Quod ipsum sicut in constitu-

tione

tione ab Imperante dependet, ita non minùs ùt constitutum primariò & directò statum & gubernationem subalternam & publicam dispositionem Civitatum & Provinciatum respicit; quamvis integræ Civitates, quat. in negotiis, quæ cum singulis privatis communia habent, & ipsæ Privatorum loco Jure Civili censeantur. *l. 15. l. 16. ff. d. V. S. l. 29. §. 7. ad L. Aquil. l. 31. ff. d. furt. Vide de speciebus Civium & Peregrinorum, qui in Imperio nostro existunt, Schilter. in Praxi Jur. Rom. Exercit. III. th. 8. Amagan. d. Municip.* Ut autem magis quod mihi incumbit observem, non omnes, quibus Jus hoc Civitatis vel antiquo Romanorum jure, vel nostris hodiernis moribus acquiritur, modos habeo adducere, sed solùm quemadmodum quis se in Civem possit ipse præsentare, & quis capax sit hujus juris, dispiciemus.

§. 12. Removentur verò oppidò & non sunt capaces ad se præsentandum validè (1) *Infames*, (2) *Heretici l. 2. l. 4. C. d. Heret.* (3) *banniti* R. A. *de an. 1521.* §. Ob aber *Gail. 2. de Pace publ. c. 10.* (4) *Judæi:* quorum receptio & tuitio extrà numerum & jura Civium, aliàs quoque inter regalia numeratur *A. B. tit. 9. in fin. add. Struv. Exercit. 50. th. 50.* Illi verò qui capaces sunt tàm Jure Civili, quàm nostrâ observantiâ, præsentare se dicuntur vel expressè, vel tacitè seu præsumtivè. Hoc modo se præsentant, qui assiduè diuque in loco præsentes se exhibent, h. e. habitant & versantur. *l. 2. C. ubi Senatores. l. 22. ff. ad Municip. Struv. Exercit. 9 th. 24. n. 3. & Exercit. 50. th. 52. Menoch. arbit. jud. lib. 2 cent. 1. casu 86. n. 11. 12. 13. Zanger de Except. p. 2. c. 1. n. 32.* Adeò ut ex hâc eorum commoratione præsumantur jus ejus Ci-

vitatis recipere velle; quin hodiernis moribus si nolint post certum præscriptum tempus, ad id recipiendum tenentur *Gail. 2. Observ. 35. n. 9.* aut ni faciant, civitate arcentur. *Mevius ad Jus Lubec. lib. 1. t. 2. art. 2. n. 45. seqq.* Altero modo videlicet expressè se præsentant in Cives, qui impetrant Jus illud, quod nos vernaculà appellamus das Bürger-Recht/ allectione. *l. 7. C. de Incol. vide Hahn. ad h. t.* Fit hoc (1) solutione certæ pecuniæ. *Köpp. 1. Dec. 11. n. 4.* (2) mediante juramento, & inscriptione in matriculam. *Struv. Exercit. 50. th. 51.*

§. 12. Succedit jam ultima personarum divisio ratione familiæ, quam tractat Imperator *Lib. I. Inst. t. 8. de His, qui quod sui vel alien. juris & lib. 1. t. 6. π.* suntque ratione hujus, ut in summa etiam reliquas, quas hæc continet, subdivisiones proferam, homines:

Vel sui Juris, vel alieni juris; sui Juris sunt, vel absolutè tales, vel in tantùm. Absolutè sui juris sunt (1) Emancipati, vivô, (2) Majorennes, mortuô patre: & utrique existunt vel Patresfamilias Parentes, vel Non-Parentes, qui scilicet in cœlibatu, & extra matrimonium vivunt, item, Impotentes: Illi, Parentes nempe, sunt vel Veri ut (1) legitimi (2) naturales; vel Ficti, ut (1) Adoptantes (2) Arrogantes. Homines sui Juris in tantùm sunt sub gubernatione (1) Tutorià, ut impuberes, (2) Curatorià, ut Minorennes. Tandem alieni juris qui sunt, existunt in potestate (1) Dominicà, de quibus jam in præcedentibus actum est, (2) Patrià, qui pro qualitate parentum, quorum divisionem posui hic, tanquàm reciprocum, veniunt considerandi.

§. 13.

§. 13. Præmissâ itaque distinctim personarum secundum ultimam hanc conditionem enucleatione, jam de singulis breviter pro scopi nostri conditione, tractabo. Ut sui juris aliquis sit & efficiatur, opus est, ut vel emancipetur, vel Patre mortuo, si in totum sui juris esse velit, majorennis sit vel declaretur. Ad emancipandum vero filius se potest præsentare directò, si impetret, & consentiat cum Patre in sui emancipationem: *Nov. 89. c. 10. Bachov. in Rubr. de modis, quibus Patria potestas solvitur n. 4. seqq. Zaes. h. t. n. 14.* (de formâ & formulâ emancipationum vide *Briss. Antiqu. l. 5. c. 7. n. 11.*) etiam pactione cum Patre, quemadmodum hoc apud Illustres personas fieri adhuc hodie tradit *Gilm. p. 2. Symphor. Cameral. p. 169. t. 9. suppl. 41. Schilter. in Praxi Juris Rom. in Foro Germ. Exercit. III. th. 16. Kulpis integr. Disput. de Adopt. & Emancip. Illustr. person.* quin novissimo jure, nostris sc. moribus, inter matres & liberos ejusmodi pacta de emancipatione, ut ii bona sua habeant, & possint deinceps liberiùs negotia sua agere, celebrari docet *Gudel. de Jure Noviss. lib. 1. c. 13. p. 29.* Per indirectum aliquis se emancipandum præsentabat, seu potius ipso jure potestate patriâ liberabatur olim solâ dignitate Patriciatus, *§. 4. J. Quibus modis &c.* pòst Jure Civili novissimo quâlibet dignitate, quæ ab oneribus Curiæ liberabat *l. fin. C. de Decurion.* in tantùm, & in quantum onus erat Patria potestas *Nov. 8. c. 2. Struv. Exercit. III. th. 67.* Adde nostris moribus, quod Patriâ potestate se exuit filia, quæ contrahit cum aliquo nuptias, & filius qui separatam instituit familiam. Vide *Constit. Elect. p. 2. c. 10. D. Carpzov. in d. C. d. 1. Struv. Ex. III. th. 68. Gudel. de Jur. Noviss. lib. 1. c. 13. p. 30.*

§. 14. Majorennitatem quidem ipso jure quis impetrat, si secundum leges Civiles XXV. Annos impleverit *l. 1. ff. d. Minor. 25. anni l. 3. §. 3. ff. eod.* vel Jure Sax. XXI. annos absolverit: Land R. *lib. 1. artic. 42.* de aliorum Populorum Majorennitate vide *G. Schulz. in Synopsi Inst. & Beierum in Notis t. 22. Inst. Quibus modis tut. fin. & latè Dn. Schilter. Praxi Jur. Civ. Exercit. XI. §. 24. seqq.* Modus tamen concessus est minoribus, quo se majorennes præsentare, h. e. ad majorennitatem obtinendam offerre possunt Imperatori *l. 1. C. d. His qui veniam ætatis impetr.* de requisitis, quæ eos capaces ad ejusmodi oblationem faciunt vid. *l. 2. C. eod.* adde de modernâ acquisitione & concessione istius Juris & beneficii latè *Schwederum Introduct. in Jus publ. parte spec. Sect. 1. c. 25. per totum. & Myler. in Etologiâ.*

§. 15. Tractandum nunc de iis personis, quæ sui sunt juris, & alios iterum possunt procreare, & in potestate suâ habere, videlicet de Parentibus primùm legitimis. Tales eveniunt justis nuptiis, nuptiæ autem an sint contractus, num fiant solùm per contractum, nostrum non est disputare: certum interim est, nec potest aliter se habere, quàm ut una contrahentium persona primò ad eas se præsentet; namque ipsa sponsalia sunt mentio h. e. oblatio quædam, & repromissio futurarum nuptiarum. Sic apud Romanos, ut omnia justè & secundum ordinem fierent, mediante conventione in manum viri talia peragebantur, nec non per coëmtionem, imaginariam: *formulam vide ap. Francisc. Hottom. form. Vet. Reliqu. p. 278.* Positis igitur hisce, quod rei natura ita exigat, ut una pars ad sponsalia seu nuptias contrahendas

se

se primùm debeat offerre, quæritur, *an & fœmina se ita præsentare possit, vel per se vel per suos?* Quanquàm enim ejusmodi oblatio regulariter à Viro fieri soleat, & convenientiùs quoque pudori muliebri esse videatur, ut expectet eam à mare *Bœkl. Instit. Polit. lib. 1. c. 2. p. 21.* nihilominus tamen affirmativam sententiam locum habere, præsertim apud Magnates, statuo, quam etiam defendit *Autor* der Polnischen Staats *Maximen,* & *Dominus Schilter. in Collegio MCto Politico.* Ex nuperis exemplis destinationes pro moderno Hispaniar. Rege Carolo prostant. Ex veteri historià exemplo est Sosipatra apud Eunapium *p. 54.* & Tiberius II. Imperator electo successori Mauritio obtulit filiam & tradidit his verbis: Ecce cum consensu Augustæ Sophiæ ad Imperium eligeris, in quo ut firmior sis, filiam meam tradam Tibi, & accedente puellà tradidit eam Pater Mauritio, dicens: Sit Tibi Imperium meum cum hâc puellà concessum *Zosim. l. 5. pr.* Cæterùm de iis, qui non valent vel ob impotentiam vel ob prohibitos gradus se præsentare ad nuptias cùm aliquâ contrahendas, non opus est, ut hic differam, cùm & ad propositum meum parùm faciat, & alibi hæc latiùs exhibeantur.

§. 16. Parentibus respondent liberi, quibus legitimis, si illi eos non volunt agnoscere, datum jure est remedium, quó tales se possunt exhibere, ita, ut pro iisdem omninò haberi, eisque alimenta præstari à Parentibus debeant. *l. 3. §. 1. seqq. ff. d. Agnosc. & alend. lib. l. filium 6. ff. de His, qui sui l. alieni add. Struv. S. J. C. Exercit. 3. th. 43.* Et tantum quidem de Parentibus & liberis legitimis, sequuntur jam Naturales, & qui tales existunt fictione Juris.

§. 17.

§. 17. Permissum autem est Patri naturali, imò tenetur nonnunquàm, liberis se offerre & constituere legitimum parentem. *Nov. 89. Quibus modis naturales efficiantur sui. Auth. Licet C. de naturalibus liberis.* Invito tamen filio se parentem legitimum non potest obtrudere, si illum tanquàm sortem metuentem paternam vel per oblationem curiæ, vel per instrumentorum celebrationem, vel per aliam ejusmodi machinationem sub potestatem vult redigere, quia *justum non est neque imperii & legislatoris proprium. Nov. 89. c. 11.*

§. 18. Idem obtinet etiam in liberis fictis seu adoptivis, quibus nemo se Adoptatorem seu Arrogatorem invitis præsentare & constituere valet, quia inviti & ignorantis nulla adoptio, nisi infans sit, qui contradicere non potest *l. 24. ff. d. Adopt.* Arrogatio verò ab hoc ipso ita dicta est, quod uterq; & is, qui arrogat, & qui arrogari vult, rogetur, an velit eum, quem arrogaturus est, justum sibi filium esse, & is, qui arrogatur, interrogetur, an id fieri patiatur. *l. 2. pr. ff. d. Adopt.* Id quod & sic se habet in Unione prolium, legitimatione, & emancipatione, ut invitò eò non valeant, qui consentire debet, etiamsi actus fiat ad sui favorem, propter mutationem status. *Vide Barbosam in Jurisprud. Axiomatic. voce: Beneficium. §. 18.*

§. 19. Sciendum nunc de liberis naturalibus, quod se ipsos possint laudare patri naturali, ut alimenta ipsis præstet, si nimirum probaverint eos ejus esse, à quo alimenta petunt. *l. si quis à liberis. §. 1. ff. d. agnosc. & alend. lib.* Deinde & ipsi sese queunt offerre ad legitimandum, idque diversis Jure Civ. modis. Sic v. g. filius ipse mortuo patre naturali se potest præsentare Principi, ut per

ejus

ejus Rescriptum efficiatur legitimus, & ut legitimus patri succedat, dummodò ostendat Patris testamentum, quo ille id desideraverit. *Nov. 74. §. si verò solummodò. Nov. 89. §. Si verò. 15. Gudel. de Jure noviss. lib. 1. c. 15. p. 34.* Ita etiam poterant apud Romanos non solùm per Parentes offerri Curiæ naturales, sed ipsi hoc per se valebant, *vide Tit. C. de Nat. lib. quibus caus. justi effic. Nov. 89. & quibus mod. naturales effic. sui. Gudel. lib. 1. c. 16.* quemadmodum & nostris moribus sese offerre Comitibus Palatinis legitimandos possunt. Restat ut afferam adhuc pauca, de personis sui Juris in tantum, qui sc. Tutores & Curatores ob ætatis imbecillitatem habeant necesse est, & cùm imprimis illæ, si ex testamento, vel lege, non habeant tutores, ex ratione jam allatâ sibi ipsis prospicere, seque in judicio præsentare, vix quant, ideò alii sunt obligari, ut eorum nomine tales petant. Et quidem ex necessitate, nisi hæreditate velit privari, facere id debet mater intra annum. *l. 1. ff. Qui pet. Tut. l. Curat. l. 2. 3. §. f. ff. eod. l. 2. §. 28. ad SCt. Tertull. Carpzov. 2. c. 11. d. 15.* Ex voluntate merâ, benè tamen, id agunt Cognati, Affines, familiares; *d. l. 2. pr. ff. eod.* quin omnibus his non petentibus, ex officio Magistratus hodie tutorem dare tenetur. *argum. l. 1. ff d. Jdict.* vide *Dec. Elect. Sax. 41.* Minores cùm sint maturioris judicii, non tamen ita ut rebus suis plenè præesse possint, se rectè sistunt in judicio, sibique petunt Curatores. *l. 2. §. f. ff. d. His qui pet. Tut. l. Curat.* Invitis verò his Jure Civili regulariter non datur Curator: *§. 2. J. de Curat. l. 13. in fin. d. Tut. & Curat. dat. l. 1. §. pen. & ult. ff. qui pet. Tut. l. 7. §. 2. ff. d. Minor.* vide tamen Exceptiones & limitationes, & quid nostris moribus obtineat, *R. J.* de *anno 1557. Struv. S. JC. Ex. 31. th. 7.*

D §. 20.

§. 10. Magis adhuc videtur esse operæ pretium, quærere hic, *num ejusmodi personis, Impuberibus nempe, & Minoribus, alii se possint præsentare l. dare Tutores & Curatores, Qui id possint, & quomodo?* In genere ob necessitatem & utilitatem tutelarum non licet negare, aliquam præsentationem locum habere posse, si præsertim modestè ea fiat, & bonâ intentione, à Viro integræ vitæ, aut ab eo, cui jus jam est quæsitum ad tutelam, v. g. à Patre quoad bona materna: *Struv. Jurisprud. Rom. Germ. lib. 1. t. 18. d. legitimâ tutelâ. aph. 1.* interdum sub cautione: *Struv. d. l. aph. 2.* it. à Patre filii emancipati, & fratre, mortuô Patre. *vid. tit. Inst. d. Legitimâ Parentum tutela, & sequ. d. Fiduciariâ tutelâ.* Postmodum Jure Novellarum, omni differentiâ quoad successiones inter suos & emancipatos, inter agnatos & cognatos sublatâ, rectè ei sese præsentantes admittuntur eo ordine, quô succedunt. *Nov. 118. c. 4. & 5. Auth. S. C. d. legitimis Tutoribus.* E contrario si quis affectatè ingerere se vellet, vel non probatæ Vitæ, v. g. Prodigus esset, & Gernhaber potiùs, quàm Gerhaber/ ut Maximilianus Imp. quosdam appellare consvetus est. *Webner. in Observ.* Pract. Voce: Gerhaber/ ille vel non admittitur, vel admissus suspectus removetur, vel denique tenetur ad restitutionem & pœnam. *vide l. 3. §. 15 ff. de suspect. Tut. & Curat. l. 21. §. ult. ff. d. Tut. ac Curat. dat. ab his, qui Jus &c.* Ita etiam perhibet Gudel. *l. 1. c. 17. p. 38. de Jure Noviss.* non posse, ad Tutelam, vel Curatelam accedere illum, qui pupilli vel minoris est debitor, *Nov. 72.* facile namque posset lædere eum, quia omnes res ejus habet in potestate, & intercipere occasionem haberet chirographa ejus. Multò minus tutorem se dare potest Prætor, *l. 4. ff. d. Off. Præt.* itemque

Præses

Præses Provinciæ *l. 5. de Off. Præsidis*, cùm Magistratus non possit non videri suspectus, qui se sponte ad tutelam vel judicium offerat, ut nemo procurationem sibi ipsi asserere debet, altero invitò. *l. 25. ff. de Procurat. Paul. Voët. ad §. 5. J. de suspect. Tut. n. 2.* In specie oritur quæstio de matre, *an & quó pacto illa se possit liberis suis tutricem offerre, hocque munus administrare, quod aliàs Virile est, & publicum? l. ult. ff. de tutel & l. 1. C. Quando mulier tut. off. fungi poss. pr. J. d. Excus. Tut. l. Curat.* Sed cum hoc jam expediti sit juris, & à Doctoribus multùm enucleatum, remitto B. L. ad *Struv. S. J. C. Exercit. 31. th. 26. Schilt. Prax. in foro Germ. Exercit. 27. th. 37. Gudel. de Jure noviss. lib. 1. c. 17. p. 37.* Tandem *quid juris, si quis se tutorem hujus vel illius pupilli falsò laudet, & hac laudatione tertium inducat, ut cum pupillo illo autore contrahat?* Resp. Prætor in Edicto, cujus verba habentur *in l. 1. §. 1. & fin. l. 7. pr. ff. Quod falso Tut.* & duo pollicetur remedia, (1) restitutionem in integrum ignoranti esse falsum tutorem. *l. 1. pr. & seqq. §. §. l. 7. §. fin. l. 3. 4. 6. ff. eod.* (2) Actionem in factum, si dolo malo quis se falsum tutorem præsentaverit, ad interesse. *l. 11. pr. h, adde Struv. Ex. 31. th. 74. seqq. & Ex. 8. th. 76.*

§. 21. Tractavi de Præsentatione sui ipsius, quatenus occurrit ratione & occasione juris personarum, nunc quædam etiam circa jus rerum & actionem delibabo, ita quidem, ut tàm quoad earum divisionem, quàm acquisitionem, saltim quæ ad rhombum facere videntur, afferam, actionum jure seu præsentatione sui vi earum generaliter etiam aspectâ. Videlicet dantur quædam res, quarum nemo se potest dominum laudare, ut sunt *Sacræ, §. 7. J. d. R. D. & A. ips. dom.* quædam, qua-

 rum

rum ſaltim populus, & univerſitas, ut *publicæ & univerſitatis*, §. 3. *J. d. Rer. diviſ. & acquir. ipſ. dom.* §. 7. *J. eod. tit.* quædam denique, quarum ſe præſentant dominos ſinguli, *ut communes*, quod fit vel originariè, mediante occupatione, §. *12. ſeqq. J. d. R. D. & A. D.* vel derivativè, v. g. poſt titulum traditione. *add. Grot. lib. 2. d. J. B. & P. c. 3. & 6.* earumque rerum vel mobilium, vel immobilium; ubi inſtar traditionis eſt inductio.

§. 22. Ipſo jure, derivativè tamen alicui cedit dominium rerum, teſtamento, vel etiam ab inteſtato, ita, ut ibi inſtituti, exhibitione, & vi ejus ſe præſentent dominos, agnoſcendo, ſi velint, hæreditatem: §. *ult. J. de hæred. qualit. & differ.* adde *Struv. Ex. 34. th. 27. & 28.* de capacitate & qualitate eorum, vide eund. *S. J. C. Ex. 34. th. 36. & in Jurisprud. lib. 2. t. 23.* §. 7. quin & tota addictionis doctrina huc pertinet, quando ſervus ſe offert in hæredem, cui libertatis causâ bona addicuntur. Hic, ab inteſtato ſc. ; ſibi acquirunt hæreditatem liberi, vel his deficientibus, proximi agnati, cognatique jure noviſſ. ſecundum *Nov. 118.*

§. 23. Jus ad rem quod attinet, acquiritur illud nobis, contractibus veris, vel quaſi, ad quæ genera conventionum certè opus eſt oblatione unius partis. *Struv. Ex. 6. th. 33.* Offerimus verò nos per tractatus, de quibus quædam monenda mihi. Nimirum *ſunt nihil aliud, quàm propoſitiones conventionem antecedentes, factæ absque animo ſe obligandi, Germanicis:* Vorſchläge. *ſeu ſunt oblationes quædam, quibus pars una alteri ſe præſentat ad contrahendum, ut exinde alter occaſionem talem arripiat, & mentem contrahendi declaret*, quæ tamdiu propriè tales exiſtunt, donec ex variis animi motibus in unum partes

partes consentiant, ut loquitur *Ulp. l. 1. §. 3. d. Pact.* tuncque degenerant in contractum. Ad tales tractatus seu præsentationes sunt capaces, qui possunt contrahere, adeò, ut perinde iis etiam adversentur error, vis, ac metus. *vide l. 15. ff. d. Pact. l. 57. d. O. & A. l. 116. d. R. J.* Alii ejusmodi tractatus, seu oblationes, sunt vel privatæ, quarum tot, quot pactorum & contractuum genera; aliæ iterum existunt publicæ, v. g. Pacis ac Belli; aliæ demum sunt licitæ, de rebus licitis, aliæ illicitæ, de rebus moraliter & Civiliter turpibus, adeoque impossibilibus. *l. 15. ff. d. Constit. instit.* De Pacis negotio notes in transitu, quòd neutra pars belligerantium se lubenter præsentet ad pacem, ne justitiæ aut viribus suis diffidere, adeoque descendere & transactionis media proponere, videatur. *Schütz. Colleg. Jur. publ. V. 2. Disp. 13. th. 4.* Itaque hoc fieri solet per Mediatores, Pacificatores, Interponentes. Item de effectu harum oblationum, ad quid v. g. obligent seu quatenus probent, scias, quòd per se principaliter quidem non obligent, obligant tamen v. g. ad pœnam; ut si quis cum delinquente tractet, se huic commisso delicto ad evadendum auxilium præstare velle. *Conf. Berlich. P. 5. Concl. 56. n. 49.* De probatione tandem tractatuum, ex iis quidem præsumi animum contrahendi, tradit *Gloss. in l. 4. d. doli mali & met. except.* non tamen probari ipsum contractum, quia aliud est contraxisse, & contrahere voluisse, multaque dicuntur & tractantur, quæ tamen non perficiuntur. *Cothm. 1. Resp. 4. n. 14. Menoch. de Arbit. Jud. quæst. 2. Cas. 470. n. 1. seqq. argum. l. 8. C. d. Resc. vend. c. 8. X. de his quæ fiunt à Prælatis.* Acceptatione alterius ejusmodi tractatus fieri & degenerare in perfectam conventionem jam supra innui, id verò quemadmodum

 ritè

ritè fiat, altioris est indaginis: unde sufficit mihi, hoc genus præsentationis saltim notasse, & remisisse B. L. *ad H. Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 11, §. 14. seqq. Pufendorf. de Jure N. & G. lib. 3. c. 9.*

§. 24. Certè in ipsis Contractibus, & quasi, non caret certo effectu, quando quis ad eos se præsentavit ipse, & obtulit: v. g. verbis laudando nimium res suas, vel facto ipso, & ingerendo se in negotia alterius, eo vel sciente, vel etiam insciente, & invito. Antequàm igitur in specie id demonstrem, libet in genere hanc quasi regulam ponere, *Offerentem se ad contractum, vel ad negotia gerenda, imprimis si alii adhuc adsint, facere, ut & ipse, & alius, qui forte præ ipso negotio admovetur, duriùs obligetur. Vid. §. 1. J. de Oblig. quæ ex Quasi Contrah. ibi: Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem, nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet, Si modo alius diligentior eo commodius administraturus esset negotium.* Ex realibus contractibus probo hoc exemplô depositi. Depositarius enim tenetur regulariter tantùm de dolo, & latâ culpâ *l. 5. §. 2. ff. Commod. l. 23. d. R. J. l. 32. ff. Deposit. l. 1. §. 8. & ult. l. 16. d. Condict. furtiv:* Ast si depositarius se obtulit, non sufficit, eum latam culpam præstare, sed etiam custodiam, ut de furto teneatur, in quantum levis culpa imputari ei potest. *l. 1. §. 35. ff. Depositi. adde Struv. Exercit. 21. th. 37.* Sic in consensualibus contractibus, v. g. emtione Venditione, obtinet, ut, si venditor laudando res suas, & de ipsis speciales qualitates prædicando, sese talem offerat, de illis teneatur, cùm eo ipso chariùs vendat: *l. 43. ff. d. Contrah. Emt. Vend.* utut in genere rerum laudatio modica non officiat laudanti venditori: *l. 19. ff. de Ædilitio*

Edict.

Edict. quia naturaliter licitum est, contrahentes se invicem circumvenire. *l. 22. § f. ff. loc. Conduct. l. 10. & 4. ff. de minor. l. 8. C. de Resc. Vendit. adde Struv. Ex 23. t. 19. & Hieronym. Cardanus de Prud. Civ. libro I. c. 4. p. m. 32.* inquit: *Quanquam persvasio doli pars sit, permiserunt leges, ne tot contractus irriti fierent, levius malum ferendo, non probando.* De iis, qui ipso facto se ingerunt in alterius negotia, non est, ut prolixus sim, patent ea ex suprà alleg. §. *1. J. de Oblig. quæ ex. quasi Contr.* & *l. 25. ff. de Procurat.*

§ 25. Tandem etiam de Actionum jure pro scopo, & thematis ratione, quædam proferenda sunt: & constat quidem, *Actionem esse generale Jus, seu remedium prosequendi*, h. e. *sese præsentandi ad id in judicio, quod sibi debetur, videlicet vel dari, vel restitui, pr. J. de Act.* namque sic latè est interpretandum vocabulum; DEBETUR, ut significet, tàm realem, quàm personalem actionem. *Perez. in Instit. Erotematicis ad Tit. d. Act. quæst. 1.* Inventos autem esse hosce sese præsentandi modos, i. e. actiones, jure Gentium, & formam, seu solennitatem accepisse, Jure Civili, inter communes opiniones refert *Vivius lib. 1. Sylv. comm. opin. opinione 4.* Cæterùm in specie omnes actiones recensere, earumque effectus, & qualitates, meum hic non est, videantur hâc de re Commentarii ad *Tit. Inst. de Act. Oldendorp. Class. Act. Schwendendörferus de Actionibus, & alii.* Quæ ulteriùs hoc capite de Judice, testibus, & aliis quibusdam materiis possent forte non incommodè tractari, non incongruè referre mihi licebit, ex ratione suprà allatâ, capite sequenti, quod est

CAPUT

CAPUT III.

De Præsentatione sui ipsius, occurrentis in Jure Publico, Feudali, & Canonico.

§. 1.

PORro consideraturi pro instituti ratione Præsentationem sui ipsius, quatenus sese offert in Jure Publico: imprimis ratione subjecti hujus Juris, personarum sc. publicarum, perpendenda mihi videtur. Quapropter non solùm circa Imperantem, sed & circa Parentes, eosque tùm Status ipsos, tùm obedientes simpliciter, quatenus publicæ considerationis esse possunt, quædam adducere necesse judico.

§. 2. Imperatorem nostri S. R. Imperii eligi legitimâ electione à personis hujus juris capacibus, h. e. Electoribus, neminem facile latebit: Quæritur igitur; *an talis Elector se ipsum possit eligere, seu in Imperatorem præsentare?* Distinctè circa hanc quæstionem procedendum esse puto: aliud namque est primum habere votum, & aliorum votis nondum auditis, prosilire, & se ipsum suffragio præsentare; aliud iterum aliorum in dubio, & imparibus, suum addere, sibique illud applicare, adeoque majorem, quod ajunt, partem facere. Quod primum attinet, communiter Dd. sentiunt, talem electionem in genere esse ambitiosam, & irritam. *l. un. §. 1. ff. ad L. Jul. Amb. l. un. C. d. t. l. 4. ff. de Tut. & Curat. argum. l. 10. ff. de Jurisdictione cap. 26. X. de Jure Patronatus*

natus. Sed hæc obtinent saltim in Jure Civili, & casu, ubi quis solus habet potestatem eligendi, & solum se eligendi, adeò, ut eligens & electus in eandem personam sic cadere posse non videatur, sicut nec ista relata, emtor & Venditor. *l. 1. ff. d. Rer. permut.* Aliud statuendum est in Jure Publ. & puncto Electionis Imperatoris, ubi contrarium est observatum, nec suspicio electionem ejusmodi potest remorari. Præterquàm enim quod in personis illustrissimis, & jurejurando insuper ad eligendum bonum obstrictis, omnis migret sinistra præsumtio: deinde non unius in sui electionem votum sufficit, sed & reliquorum Septemvirorum assensus requiritur, qui si adest, potius communis conclusio, quàm unius electio & Præsentatio, facta censetur. *Carpzov. Semidec. quæst. ex tit. 2. & 4. Aur. Bull. quæst. 4. n. 20. seqq.* Exemplo nobis hic sit Sigismundus Imperator, Caroli IV. filius, qui ad Comitia tanquàm Elector Brandenburgicus vocatus, & Dignitatis Regiæ gratiâ, primus ut sententiam de nominando Cæsare diceret, rogatus, se ipsum nominavit, *Me,* inquiens, *ego novi, alios non itidem, an æquè meeum imperio Orbis digni sint, præsertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque, ibidem schismate durante, plurimum laborat.* Dum enim hanc tàm liberam & generosam Sigismundi vocem reliqui Electores audiverunt, mirati eandem sunt, & communi consensu eam adprobarunt. *Dubravius Hist. Bohem. lib. 22. Limn. ad A. B. c. 2. §. fin. observ. 4. & d. Jure publ. L. 2. c. 3. n. 76. Becker. de Jure publ. lib. 3. c. 3. §. 14.* Cui sententiæ licèt alii adversentur, hanc tamen etiam tenet cum Limnæo & aliis, *Illustris Dominus Præses in Not. ad Introduct. Jur. publ. Schwederi part. spec. Sect. I. c. 2. §. 20.* ex ratione sufficientissimâ ibi adductâ.

ductâ Sed relationem *Dubravii* ſuſpectam reddit idem *Limnæus*, *Goldaſtus*, *Carpz.*, *& alii*, qui aliunde colligunt, *Sigismundum* abſentem fuiſſe, ex *Decreto* ſc. quodam, ſeu *Epiſtolâ* duor. Electorum & unius Legati ad Spirenſes, *ap. Lehmannum.* Cùm verò alii Scriptores idem cum *Dubravio* narrent, quod nec *Goldaſtus* diffiteri poteſt. Deinde literæ illæ *Lehmannianæ* datæ ſint anno 1410. *Sigismundus* verò electus ſit anno ſequenti 1411. Imò ſi annum 1410. in *Lehmanno* ſupponas, menſe *Februario* ſcripta dicatur Epiſtola; *Rupertus* autem vacuum reliquerit imperium menſe demum *Majo :* Nec appareat, cur non etiam intimâſſent Electionem, qui non minùs præſentes erant, Elector. *Moguntinus* & *Colonienſis*. Ideò *Dubravii* recenſioni magis fidendum eſt. De altero caſu, quòd ſc: quis Elector, ſi tres eum elegerint, votum ſuum ſibi dare, ſicque plura conficere poſſit, nullum planè reſtat dubium, cùm habeamus expreſſam hâc de re ſanctionem in *A. Bullâ Caroli IV. tit. 2. §. fin.* quæ ſic habet: *In caſu denique, quo tres Principes Electores Præſentes, ſeu abſentium nuncii, quartum ex ſe, ſeu ipſorum conſortio, videlicet Principem Electorem Præſentem, ſeu Abſentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, ſi præſens affuerit, aut nunciorum ipſius, ſi eum abeſſe contingat, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus conſtituere, ad inſtar cæterorum Principum Electorum. adde hunc* §. benè exponentem. *Joh. Wurmſerum Exercit. 2. Juris publ. quæſt. 7.* Quin exempla hujus rei extant frequentiora, recentiora ſunt in Maximiliano II. Rudolpho II. Matthia, & Ferdinando Imperatoribus, qui eodem modo ad faſces Imperii pervenerunt. *Conf. Myler. in Addit. ad Rumel. Diſſ. 3. ad*

A. B.

A. B. th. 14. Limn. add. ad Lib. 2. c. 3. n. 15. Tom. prior. & apud Wurmserum allegatos scriptores. d. l.

§. 2. Hæc de summo Imperatore in præsentiarum sufficiant, veniunt jam de Parentibus quædam dicenda, & quidem primò considerandi sunt illi conditionis eminentioris, qui dicuntur Status Imperii. De horum origine, juribus, & ratione formali *Vide Severin. de Monzambano c. 3. d. Stat. Imp. Germ. & Schvveder. in Introduct. ad Jus publ. part. spec. sect. II. c. 1.* Quæritur autem, an aliquis, v. g. *Princeps aut Dux, se talem, Statum sc. Imperii, præsentare,* h. e. *Imperio offerre possit, ut consequatur votum & sessionem, & quomodò?* Resp. quod possit omninò; ut verò id ritè & efficaciter fiat, h. e. ut possit etiam recipi in talem, requiritur in illo, ut sit capax ejusmodi juris, videlicet habeat bona sufficientia dignitatis suæ conservationi, & moderno tempore immediata, aut usque dum iis instruatur, ex dispensatione einen Stands mäßigen Anschlag in se recipiat. *R. J. de anno 1654. §. 197. & Cap. Ferdinand. IV. art. 45. Leopold. art. 44.* secundò, ut Cæsari, atque Statibus, se exhibeat, quippe qui debent consentire in receptionem novi Status. *vid. R. J. de anno 1548. §* Nachdem auch *&c. ibi:* So haben wir uns mit denen gemeinen Ständen rc. *Capit. Leopold. art. 43. & ibi Monita Princip. Schvveder. Introduct. ad Jus Publ. parte spec. sect. II. c. 1. §. 4. p. 744.* quanquàm Status reliqui hic aliter se non habeant, quàm Conditio sine quâ non. *Illustr. Dnus Præs. in Not. ad Introduct. J. P. Schvveder. d. l. §. 3.*

§. 3. Tandem quoque de inferioris sortis hominibus in Republicâ nostrâ videndum, quomodo illi publicæ personæ Privilegium obtineant, & ad id se possint

præſentare, ratione Virtutis ſuæ, & meritorum, tùm ad decus ſeu honorem, tum verò ad officium publicum in in Civitate adminiſtrandum. Jam ſupra demonſtravimus, quod quis ſe interdum poſſit licitè laudare, ex quo fluit, quòd ſe etiam honeſtè poſſit præſentare ad honores & officia publica in Republicâ capienda, dummodo id fiat modeſtè & citra ambitionem. Quamvis enim expedire videatur Reipublicæ, invitis magis, quàm ambientibus gubernacula concedere, & invitos non ambientes in Republicâ collocandos eſſe, dixerit Alexander Severus Imperator. *Lampridius in ejus Vitâ.* Nullum tamen eſt dubium, quin dentur adhuc homines, qui bonâ intentione in Gloriam Dei & Utilitatem Reipublicæ ſeſe offerant, pro ſummo reputantes honore benè inſerviiſſe Reipublicæ, ſicque appetentes honorem non propter ſe ipſum, ſed ob aliud. Vide *hîc latiùs Barboſam in Jurisprud. Axiomat. quosque ille allegat Autores, in Voce: Honor. n. 11. & 16. Adde Dn. Ziegl. in Dicaſticâ concluſ. 4.* ubi egregiè tùm modeſtiæ in appetendis honoribus & officiis publicis qualitatem, tùm etiam ambitionis, quæque illa ſecum trahit, aliorum vitiorum naturam exponit. In ſpecie agamus de Præſentatione ſui ipſius ad honores, quos primò ſolus Imperator ex Reſervato confert in Imperio, deinde de officiis, quæ & Status vi ſuperioritatis Territorialis in Provinciis ſuis concedendi habent poteſtatem, v. g. de officio Judicis.

§. 4. Imperator noſtri S. R. Imperii quemadmodum fons eſt & ſcaturigo omnium dignitatum, ita ut ab eo tanquam principio fluant ac refluant, ſicuti flumina de mari, omnes honores & officia: *l. un. ff. ad L. Jul. d. Ambit.* terreſtreque Numen, ac ſtella matutina in medio nebulæ

nebulæ esse dicatur. *Sixtin. d. Regal. lib. 1. c. 4. n. 3. 4. 5. & 6.* Ita creat solâ denominatione Nobiles, Principes, Duces. *Schneidevv. de Feudis. part. 3. n. 65.* Nobiles ipsi in genere sunt vel superioris conditionis, ut comprehendantur sub iis Duces, Principes, & Barones; vel inferioris, ut eorum nomine denotentur Equites, Nobiles Imperii mediati, & immediati: quos omnes, uti dictum, constituit Imperator noster, cum Rege Romanorum solus, & illi, quibus ipse hoc jus communicavit. *Vide Schvved. Introd. in J. P. part. spec. sect. II. c. 18. p. 1042. & 43.* Quæritur autem, ut ejusmodi dignitatem & privilegium aliquis acquirat, *an Imperatori se possit præsentare seu offerre?* Si originem Nobilitatis tàm quoad Vocem, quàm quoad rem inspicimus, reperimus dictam à noscendo, quasi noscibilitatem, ita ut verè Nobilis sit, qui se noscibilem virtute suâ reddiderit. Sed vid. de Origine & Privileg. Nobilium peculiares, qui de eâ re scripserunt Autores, v. g. *Nolden. d. Stat. Nob. Civ. Tiraquel. de Nob.* nobis sufficiat monstrasse, quod optimus modus sit hodienum per Virtutem eamque vel togatam vel sagatam, armis videlicet, vel eruditione Imperatori se facere noscibilem, seu præsentare nobilitandum, ubi modesta etiam oblatio seu petitio talis Privilegii & dignitatis, tanquàm justum virtutis suæ præmium, in ejusmodi Virtuoso & generoso non videtur reprobari posse. Planè Veteres dubitarunt, num divitiæ, seu certa Pecuniæ summa oblata Principi possit nobilitare, quamvis id de antiquis & nostris progenitoribus relictis divitiis affirmet. *Tiraquellus Tract. d. Nobilibus c. 5.* Judicarunt enim illi hos solùm idoneos, quos virtutum ornamenta probant. *argum. l. 1. C. d. Condit. in publ. horreis. lib. 10. t. 26.* quia

divitiæ cadunt etiam in personas turpes & infames, quibus dignitatum portas claudit Constantinus *l. 2. C. d. dignit. lib. 12.* Sed nostris temporibus, quis nescit, Nobilitatem seu nobilitatis privilegia ab Imperatore, sicuti alia ejusdem Reservata, & in Galliâ etiam ipsa officia publica & Aulica conferri sese offerentibus, & certam pecuniæ summam solventibus? Offerens verò si expers sit virtutis, & tamen nobilitetur, præsumitur Imperator dispensare voluisse cum ejus defectibus: *argum. l. 57. ff. d. Jud.* & tunc ex Majestaticâ potestate, quâ pollet, nobilitare eum potest, nec cuiquam competit privato, disquirere, rectè ne factum, nec ne? *Nam sacrilegii instar est, dubitare, an is dignus sit, quem elegit Imperator. L. disputare. 3. C. d. Crim. Sacrileg.* & *Solon* dicebat, *eos, qui apud Reges in precio sunt, esse calculis similes, quibus in exponendis rationibus utimur. Ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem significant, ita & Reges horum quemque prout libitum, aliquando illustrem & inclytum, aliquando obscurum habere & ignobilem.* Taxam, quantam nimirum quisq; pecuniam exsolvat pro Nobilis dignitatis privilegio, itemque pro aliis ejusmodi, quæ Imperator ex Reservato impertit, vide *apud Stryk. in Appendice Examinis Jur. Feud. & plenè ap. Uffenbach. de Judic. Imperat. Aulico.*

§. 5. Nobilibus succedunt & comparantur Doctores, quippe qui etiam Cæsareâ creantur autoritate, cùm ipsæ Academiæ in Imperio ab Imperatore dependeant; *Ord. Cam. p. 1. t. 3. §.* Desgleichen. Namque fruuntur iisdem & similibus cum Nobilibus Privilegiis, & in legibus Jur. Civ. titulis. *l. 7. C. d. Postul. l. 2. §. fin. ff. de Excusat. Tut. & Curat. l. 4. sub fin. ff. eod.* quin planè *Illustres & Magnificos* appellat Justinianus *JCtos in proœmio*

Inst.

Just. & Pandect. Sic Doctores æquè atque Nobiles in Camerâ Imperiali admittuntur: *Ord. Cam. p. 1. c. 43.* in Capitulares Ecclesiarum Cathedralium unâ cum Nobilibus deliguntur. *Matth. Stephani d. Jurisdictione lib. 2. p. 2. c. 14. n. 94.* Imò Coloniæ Agrippinæ in Metropolitanam cum Principibus, Comitibus & Baronibus recipiuntur, exclusis Nobilibus. *Nolden. d. Nob. c. 5. n. 35.* Tandem etiam portant sine speciali Imperatoris permissu insignia Nobilium, Wapen mit offenem Helm / & quæ ejusmodi privilegia, & prærogativæ sunt aliæ. *confer. Limn. l. 8. c. 8. n. 110. Schwweder. Introd. ad J. P. Part. Spec. c. 6. n. 15.* Sed Hi quomodo possibile erit, ut tales evadant, nisi se ipsos præsentent Academiæ, h. e. decenter literis Facultati, à quâ promotione decorari cupiunt, se offerant, legitimos natales & absoluta studia exhibeant, *Vid. l. 7. C. d. Profess. & Med. l. 2. § fin. ff. d. O. J.* consueta Examina sustineant, statam pecuniæ Summam Decano & reliquis Professoribus deponant, & in summâ, omnia illa præstent, quæ moribus Academiarum obtinent, usque dum certis ritibus & consuetis solennitatibus publicè coram præsentibus Academiæ membris, & Civibus, tales plenè efficiantur & renuncientur, juraque Doctoralia consequantur. *Conf. Dissert. Jenæ non ita pridem habitam sub Præsidio Magnifici Dni. Petri Mülleri de* GRADU DOCTORIS, & *Itterum tot. Tract. d. Gradibus Academicis.*

§. 6. Tantum de Honoribus & dignitatibus, quas Imperator sese Præsentantibus impertit ex Reservato. Inter publica officia in Civitate administranda, eminet Magistratus, & Judicis imprimis officium, utpote à Summo Imperante, vel Superioritatem Territorialem tenente dependens,

pendens,

pendens, & quàm maximè nobile. Quæritur autem de eo, *An de jure aliquis se ad id valeat præsentare?* Et quanquam ejusmodi præsentatio, si modestè & bonâ fiat intentione, nec ipsa persona præsentans sit inhabilis lege vel naturâ: *Struv. Ex. 9. th. 9 10.* perinde ut in honoribus & officiis simpliciter non sit improbanda; vix tamen est, ut non peccemus, si anxiè & inverecundè judicis officium ambiamus, eòque ipsô indignos nos & suspectos ostendamus, quô munus affectamus minimè certè gratiosum; dum alios bonis, alios vitâ exuere sæpe cogimur. *Vide Ziegl. in Dicasticâ, conclus. 4.* Siquidem & Syracides hunc in finem monet. *cap. 7. v. 6. Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute, irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tuâ. adde Ziegl. d. l. §. 5.* Alia jam est quæstio de eo, qui jam judex est, an etiam in propriâ causâ se talem possit exhibere? Quod jura & Dd. omninò videntur negare regulariter. *l. unic. C. Ne quis in suâ caus. jud.* quæ sic habet: *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere.* In re enim propriâ iniquum admodùm est, alicui licentiam tribuere sententiæ. Quin *l. 10. ff. d. Jurisdict. & l. 5. ff. d. injur.* hoc extenditur ad Cognatos, & quodlibet aliud commodum adeò, ut h. m. nemo se judicem præsentare possit. Sed quia nulla regula tàm firma, quæ non patiatur exceptionem. *argum. l. 3. pr. & §. 1. J. de Injur. l. ult. C. In quibus causis test.* videamus, num non dentur casus, quibus quis ritè se præsentet judicem, etiam in causâ propriâ. Ne enim dicam de casu, ubi quis sibi Jus quasi dicere potest contra latrones & aggressores, illos occidendo, eò quòd serum nimis sit, tunc leges expectare. *Wesenb. ad Tit. C. Ne quis in suâ caus. jud.*

quæ

quæ præsentatio tamen nimis est momentanea, & non fit ex officio, de quali nos hic loquimur.Ptætereà extant adhuc alii casus, ubi licitè quis propriæ causæ judicem se præstare posse statuunt Dd., exempli loco sit Princeps, qui superiorem non habet, Judex propriam injuriam Vindicans, Nobilis per Actuarium Jus dicens: de quibus, & similibus casibus, ubi limitationes d. l. unic. sunt adhibendæ, *Vide Barbosam in Thesauro Loc. comm. Jurisprud. lib. IX. cap. 88. de Judice. §. 4. & Zieglerum in Dicasticâ, conclus. 12. §. 15. 16. seqq.* Notes hic adhuc, quòd ea quæ de Judice obtinent, qui non potest talis esse in propriâ causâ, applicentur, per consequentiam ad Arbitrum: *Ziegl. l. c. §. 9.* & ferè obtinent in teste. *l. 10. ff. & Cod. de Test.* Vide tamen limitationem, & casum, ubi rusticus, qui vindicatur, in eâdem causâ testis esse potest, apud *Mev. p. 2. Dec. 6.* præter alias exceptiones, quibus in propriâ causâ quis testimonium dare valet.

§. 7. Quòd si *votis plurium*, velut in *Collegio* Senatorio, aliôque, imò sacro etiam, *eligi* quem oporteat, atque unum ex se ipsis aliqui de Collegio eligant, hic potest consentire in se ipsum & aliis accedendô numerum augere; Si modò constituat non solùm parem, sed majorem numerum eligentium. *c. 33. x. d. el. & el. pot. l. 4. ff. quod cujusque univers. nom.* Nam ita primò, immediatè & principaliter se non eligit, nec ab ipso ortum habet electio, verùm ab aliis, qui ante ipsum elegerunt, adeoque solùm accessoriè se eligit, vel coëligit, & electioni de se factæ consentit, ac eam complet: quòd citrà notam ambitionis fieri potest. Quin & si partem tantùm æqualem faceret, ambitione non careret. Quod si etiam priùs in scrutinio privato alii suffragium suum præbuerat, in quem minor pars consensit, & ipse posteà publicatis suffragiis, depre-

 hendit,

hendit, se ab æquali seu dimidiâ parte v. gr. Capitularium, Senatorum, electum: tunc *revocare* poterit *suffragium* priùs datum & electionem de se factam per consensum suum stabilire; secùs si per suffragium suum prius datum cùm aliis pro tertio majorem partem jam fecisset. Quando verò aliis de se suffragiis quis accedit, non debet dicere: *ego eligo* vel coëligo me ipsum; sed *ego consentio electioni*, (quæ tamen in fieri est,) de me factæ. Illud certum est, *si compromissorium* fecerint illi, qui de collegio sunt, *in unum*, quamvis absolutè & illimitatè, ut quemcunque idoneum eligat: quòd tunc non possit is se ipsum eligere: is enim omninò ambitiosus foret. *c. 9. IIX. q. 1.*

§. 8. Antequam hinc abeo, duas adhuc ob connexionem materiæ propono quæstiones, mox ad reliqua progressurus. Videlicet quæritur, *num aliquis ad pœnam ex commisso delicto, nec tamen noto, teneatur in conscientiâ se præsentare judici, & (2) num ad pœnam capitis damnatus se iterum Reipublicæ bono offerre & sic à pœnâ liberare queat?* Quod primum quæsitum attinet, illud reperio decisum negativè apud *Schroeterum, in fasciculo casuum conscientiæ*, ubi *casu 80.* idem proponit, & cum eo facit *Pufendorf. in Elem. Jurisprud.*, quem etiam allegat, *lib. 1. def. 12. §. 33.* Hanc verò addicunt rationem, quia quamvis ratione damni, quod proximo illatum, unusquisque obligatus sit, ut ad satisfactionem se offerat, si sciat, cui damnum intulerit, non tamen pariter obligatus est, ut se ad pœnam publicam, seu supplicium offerat, cùm delictum semel in Republicâ admissum hâc delatione infectum fieri nequeat; Imò etiam si spontè denunciaret delictum, tamen judex, si non constat de corpore delicti, illum ad pœnam trahere nequiret. Alteram quæstionem non vereor, quin

affirma-

affirmativè decidam, si scilicet delictum tale sit, ut ibi aggratiandi Jus locum habere possit, sicuti habet in multis, ob certas rationes, & personarum delinquentium qualitates. *Vide Grot. d. J. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 24. 25. 26.* & latè *Pufendorf. lib. 8. de J. N. & G. c. 3. §. 15. 16. 17. seqq.* Quin habemus hàc de re expressam *L. Ad Bestias. 31. ff. de Pœnis.* & illustre exemplum ejusmodi præsentationis sui ad liberationem à pœnâ præstare potest insignis Glossator & JCtus Azo, si fas est credere, quod refert de eo Andreas *Alciatus lib. 9. παρέργων c. 25.* Hunc enim perhibet laudatus Scriptor, cùm antea JCtorum lumen, & Veritatis fons ac tuba dictus esset, posteà verò, contra prohibitionem Imperatoris, imperiosè in leges commentatus esset, & in disputatione ab Antagonistà quodam suo provocatus, cultro eum oppetiisset, ob id in carcerem protractum, & capitalis criminis damnatum fuisse; sed tamen ante executionem contra hanc sententiam provocasse, & exclamasse: *Ad bestias, ad bestias,* sicque liberationem ob insignia merita, & excellentiam in arte juris prætendisse, quæ tamen ipsi non concessa fuerit, quòd Judices se ab eo bestias insimulari credidissent *Vide Schragium in Præfat. ad Introd. in Pandect.* qui hæc ex citato Autore enarrat, pro fabulà tamen magis, quàm verà historià æstimat. Id quod licèt ita se haberet, non tamen careremus aliis quotidianis ferè exemplis eorum, qui aggratiationem & dispensationem in pœnis, vel ex similibus, vel aliis causis, ad petitionem, seu supplicationem suam obtinent.

§. 9. Juris Feudalis in pertractando nostro themate, ne planè obliviscamur, ratione personarum, quas res & actiones sequantur oportet, quædam attingenda ducimus. Et quidem tres personarum species hóc in

Jure occurrunt (1) Dominus directus, (2) Vasallus (3) Pares Curiæ seu personæ Judicium feudale constituentes. De his ultimis notamus, quod sint judices, quando inter dominum & Vasallum causa agitur, vel si aliàs dominum, etiamsi duo Vasalli inter se principaliter litigent, lis concernat. *II. Feud. 16. 39.* §. *Si inter. 55. & §. penult. it. II. F. 40. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 16. aph. 6. n. 1. 2. seqq.* Ex quibus fluit, dominum directum se saltim in iis causis judicem posse præsentare, quæ inter duos, vel plures Vasallos de Feudo, quod ab eodem domino recognoscunt, in controversiam vocantur. Confer *Struv. S. J. F. cap. 16. aph. 5. & cap. 5. aph. 3. in fin.* in reliquis verò & in causâ propriâ idem obtinet, quod supra de judice in genere attulimus. *2. F. 46. Ziegl. Dicast. concl. 12. §. 11.* De Domino directo jam succedit quæstio, *an talem se possit quis præsentare, quisnam possit, & quomodo?* Sanè originem feudorum si respicimus, in eo Dd. consentiunt, quòd antiquissimis temporibus à Dominis directis Vasallis in præmium officiorum militarium, vel præstandorum, vel maximam partem jam exhibitorum, fuerint concessa. *Vid. Struv. S. J. F. c. 1. aph. 3. n. 3. seqq.* Quin hodie permissum est cuilibet territorii domino, qui alienandi habet potestatem, sese præsentare alteri dominum directum, h. e. dare Illi rem suam sub obligatione servitiorum, & fidelitatis in feudum: adde latè *Struv. cap. 5. aph. 2. usque ad 12.* De Vasallo major est dubitatio, an communi feudorum jure notum, seu in usu fuerit, talem se præsentare? Quòd verò Jure Saxonico, & nostris moribus, quis facere id possit, & quomodo, peculiari operâ de FEUDIS OBLATIS satis amplè exposuit. *Hertius in Tract. de Feudis, & in Diss. pecul. Christianus Thomasius anno 1687. Lipsiæ*, adeò, ut

eadem

eadem afferre supervacaneum, ab his verò allatis quædam superaddere nec meæ capacitatis, nec instituti sit.

§. 10. Tandem ut ne *Jura Canonica* prorsus intacta relinquam, constat, finem illorum esse æternam salutem, seu vitam talem, quam sequitur beatitudo. *Desselius Erotem. Jur. Can. proœm. quæst. 1.* Hunc finem ut assequantur, enituntur laici, & Clerici, quilibet pro suâ functione, quæ personarum, in hoc Jure, summa est divisio. Cùm verò de prioribus in præcedentibus jam satis actum, ideò de Clericis saltim pauca libabimus: *an sc. & quomodo se ad munera & beneficia Ecclesiastica, queant præsentare?* In genere nihil inhonesti committit, qui munus prætendit Ecclesiasticum, quin si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, inquit *Apostolus 1. Timoth. III. v. 1.* Per tale desiderium verò non est intelligenda cupiditas affectata, sed modesta quædam sui exhibitio, quâ quis, ob dona sibi divinitus concessa, ut inserviat Deo, moderate suam Ecclesiæ offert operam. *Ziegl. in Dicastticâ concl. 4. §. 1.* Quæ præsentatio tamen non obligat præcisè Jus Episcopale summum tenentem, ut ejusmodi se offerenti statim conferat beneficium, aut illum assumat in ordinem ministrorum Ecclesiæ. Sic enim aliud statuunt Canones in eo, qui Jus habet Patronatus, & præsentare potest aliquem ad beneficium Ecclesiasticum ita, ut nisi manifestis laboret erroribus, quibus sit inidoneus, sit confirmandus ab Episcopo seu prælato. *Dessel. in Erotem. J. Can. lib. 3. t. 5. de Prebend. & dignit. quæst. 21.* Se ipsum tamen præsentare non potest. Sicut enim ambitiosus esse videtur talis Patronus, & meritò repellitur. *c. 9. IIX. q. 1. c. 3. l. q. 6.* Ita præsumitur in eo, quod ingerere se velit Ecclesiasticis ministeriis, & sibi ipsi aliquid donare, quod est absurdum:

per *c. ult. X. d. instit.* & *cap. 26. X. d. Jure Patron.* cujus verba ita habent: *Per nostras postulasti literas edoceri, utrum Clericus ad vacantem Ecclesiam, in quâ jus obtinet Patronatus, se ipsum (si est idoneus,) valeat præsentare. Cùm igitur nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis, respondeo, quod nullus se potest ad personatum* (imò nec ad sacrum aliud ministerium, quin nec ad simplex beneficium, ob eand. rationem,) *alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis, & meritis adjuvetur. d.c.26.X.d.J.Patr.* Et oportet esse distinctionem inter præsentantem & præsentatum. *Ungeb. ad d. c.n.34.* Sed nec per delegatum se potest præsentare Patronus, aut per Procuratorem suum, quia hi nomine ipsius agunt. Non etiam per eum, cui cessit ad tempus JusPatronatus, secùs si cessio facta sit in perpetuum. *Zœs. d. J. patr. in Decret. n.34.* Secùs etiam si Patronus se omninò abdicaverit potestate præsentandi, ut hic possit nomine propriò præsentare, aut renunciet pro eâ vice liberè juri suo præsentandi: nam tunc ipsum potest Episcopus præsentare. *Idem dices*, si Episcopus ipsi conferre velit, nam ita potest acceptare, ne aliàs Patronus foret deterioris conditionis, quàm alii. Quandoque etiam valet Episcopi institutio citrà præsentationem: imò beneficia libera & non patronata si respicias, pauper Clericus offerre se potest, & rogare, ut ipsi de beneficio prospiciatur, in casum quo dignus videri posset. *c. 16. d. prebend.* sed ut se præsentet ad illud, non licet, nec postulare quasi dignum se illô judicet. *c. 17. d. elect. c. ult. d. institut.* E contrario in Electione, ubi quis habet quidem Jus eligendi, sed non solus, & alii debent suffragari, aliud obtinet, cùm ibi aliquis se certo modo possit præsentare, ad munus & beneficium Ecclesiasticum; videlicet votum sibi suum dando,

si est

si est idoneus, ut si ex septem tres eum elegerint, vide *cap. 33. X. de Elect. & Elect. potest. & qua superius de electione qua per suffragia in Collegio suscipitur, annotavimus.* Ex quibus evinci potest non minùs, quòd sicuti *plures* patroni unum ex se præsentare possunt, *c. 15. X. d. Jur. patron.* ita *unus ex pluribus* patronis possint præsentantibus se cæteris consentire, & sic se ipsum simul præsentare. *arg. c. 33. d. elect. & elect. pot.* Quin & *filium suum* Patronus præsentare potest. *arg. c. 3. I. q. 6. c. 15. X. d. J. Patron. l. 5. ff. Quod cujusque Univ. nom.* Non *obst.* quòd cum Patre pro unâ personâ habeatur. *l. ult. C. d. impub. & al. subst.* & quòd filius patri acquirat. Nam quoad prius veritas prævalet fictioni, & quoad posterius, in Spiritualibus Patri filius non acquirit. Cessat & in filio ea ratione vitium ambitionis. Nec tamen Pater ideò debet acquirere jus Patronatûs, ut vi illius possit filios suos ad beneficia Ecclesiastica promovere. *c. 6. X. d. J. Patron.*

§. 11. Circà *Legata* etiam *pro pauperibus* nec non circâ *stipendia* pro *studiis*, ùt & *dotibus* pauperum, disquiri potest, quâ ratione illi, quibus cura illorum competit, Provisores, Curatores, vel Executores sibi, suisque de istis prospicere valeant? Ubi quidem si in Testatoris, des Stiffters / familiâ pauperes nulli existant, quibus consultum voluerat Testator, *Executor* ejusm. potest *ex propria* suâ *familiâ* magis pauperes eligere, iisque beneficium illud conferre. *Ancheran. conf. 438. Paris. 3. conf. 45. n. 15.* Nam in eleemosynis conferendis primùm est habenda ratio sui ipsius, deinde suorum, ob charitatis ordinationem: ut tamen, quod *Thomas* ait *II. 2. qu. 32. art. 9.* adhibeatur ratio discretionis, secundum differentiam conjunctionis, sanctitatis & utilitatis. Quemadm. verò si duo executores, vel Curatores constituti sunt, unus eorum alteri potest conferre stipendium, si hic verè egenus sit: *Abbas. ad c. 33. pr. X. d. elect. & el. pot. n. 4.* quia hoc modò accipiens illud non censetur sibi authoritatem præstare in causâ propriâ, sed alteri sibi præstanti consentire. *arg. l. 4. d. auctorit. Tut.* Ita si solus quis fuerit Cura-

Curator, etiam sibi ipsi, dum pauper est, beneficium illud vindicare potest. *Lopez. d. lucr. marit. & uxor. c. 9. n. 42. Vivius Decis. 305. n. 12. Prat. L. 5. d. Interpr. vol. ult. fol. 22. n. 87.* Similiter pro filiis suis illud servare. *Paris. 4. cons. 26. n. 24. Gutierez. L. 3. qu. pr. SS. n. 21. & 43. Klock. 1. cons. 36. n. 19. Tiraquell. d. j. Primog. qu. 33. n. 11.* ut tamen, si in ipso qualitas requiratur, v. g. Capacitas ingenii, eam probet. *Finckelth. d. Jure Patron. c. 6. qu. 31. n. 2. seqq.* Indeque tutiùs faciat, quando Magistratûs authoritatem adhibet. Sanè si Executor is, qui testamento designatur, jam tempore testamenti conditi pauper, atq; Testatori cognita paupertas illius fuerat, tunc Testatorem nil videri ei ex Legato destinâsse *Anchoranus* tradit *Cons. 84. n. 3.* Denique ultimò de Voto, quô mediante nos Deo præsentamus mancipamusque, vide specialem *tit. X.* de Votis eorumque redemtione: addantur, qui hanc materiam etiam ad nostrum usum discussit, *Wilhem. Leiserus Prof. Witteb. in Dissert. suâ Inaug. antehac Jenæ habitâ d. Votis.* Et hæc sunt pauca illa, quæ Ventilationi publicæ dare hâc vice destinavi. Nimis pauca dicis? Nec librum integrum aut tractatum, qui totam omninô materiam amplè exhauriret, conscribere animus fuit, sed saltim Disputatiunculam Academicam, quæ thesibus sæpiùs tantùm nonnullis constare solet, exhibere. Minus verò accuratò eadem pertractata inquis? Des quæso aliquid conditioni præsenti, & ætati juvenili, inposterum forte meliora speranda; interim illi, qui isthæc adducere vires concessit, nimirum

Deo Triuni, sit sempiterna laus, & Gloria!

(o)